

debent studiosi, quod industriam tuam ad has artes propagandas & illustrandas confers. Nam & istic docendo multorum excitasti ingenia, & subinde monumenta edis, apta scholis, & magnopere utilia discipulis. Nec uero quidquam est, ut ego arbitror, homine philosopho dignius, quam summa ope curare, ut doctrina utilis uitae tanquam publicum patrimonium, ut Seneca uocat, conseruetur, & ad posteros explicata, & non accisa aut corrupta perueniat. Debet enim Philosophus ad optimarum artium scientiam uoluntatem adiungere bene merendi de rebus humanis, praesertim cum intelligat has artes diuinitus ostensas esse non priuatae oblectationis causa, sed ad communem utilitatem, et norit philosophum omnes actiones, & uitam omnem ad communem salutem atque utilitatem referre debere. Maxime enim decet Philosophum esse κοινωνικόν. Quanta autem sint merita quae ad uitam confert, non difficile est iudicare. Videmus enim ipsas disciplinas, quae Mathematica uocantur, ad uitam necessarias esse. An carere possumus Arithmetica & Geometria? Qualis confusio esset, si anni descriptione carerent respublicae? Nulla extaret memoria rerum ueterum, denique mera barbaries esset talis uita. Reliqua philosophia fontes continet legum & omnium honestorum officiorum. Est & magnum ornamentum religionis. Facis igitur honestissime, quod aliis doctrinam tantarum rerum, tamque utilem uitae sedulo